Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



liber iste est Vitas patrum beati Jeronimi

Incipit vita Pauli primi heremite. a beato Jeronimo edita. ad edificacionem posterorum.

Inter multos sepe dubitatum est. a quo potissimum monachorum heremus habitari cepta sit. Quidam enim altius repetentes. a beato helya et iohanne principia sumpsisse dixerunt quorum helias plus nobis videtur fuisse quam monachus. et iohannes ante prophetare cepisse. quam natus. Alii autem inquam opinionem uulgus omne consentit. asserunt antonium huius propositi caput. quod ex parte uerum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit. quam ab eo omnium imitata sunt studia. Amathas uero et macharius discipuli antonii. equibus superior corpus magistri sepeliuit. etiam nunc adfirmant paulum quendam thebeum principem rei istius fuisse nominis. quam opinionem nos quoque probamus. Non nulli et hec et alia prout uoluntas illis iactitant. sub terraneo specu. trinitum calcancotenus hominem. et multa alia. que persequi otiosum est. incredibilia fingentes. quorum quia impudens mendacium fuit. repellenda sententia iudicatur. Igitur quia de antonio tam greco quam romano stilo. diligenter memorie traditum est. pauca de pauli principio et fine scribere disposui. magis quia res omissa erat quam fretus ingenio. Quomodo autem in media etate uixerit. aut qualis sathane

Liber s. ad m Newnburga claustale